



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. De libidinibus & earum poena, quæ est cœcitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

Etsi autem Ecclesiam quoq; propter peccatum castigat, tamen in ira sua misericordie recordatur, ut grauissima & plena salutaris consolationis est Osee concio capite 11. Quomodo dabo te Ephraim, affligam te ô Israël. Quomodo dabo te, ut Adama ponam te, ut Seboim? Commiseratione exarsit cor meum, Non faciam furorem ire meae, Non conuertar, ut disperdam Ephraim, Quoniam Deus ego, & non homo in medio tui sanctus, Non ingrediar ciuitatem.

## IIII.

DE LIBIDINIBVS  
& earum pœna, quæ est  
cœcitas.

CASTITAS est uel in cœlibe uita, sine incendijs libidinum, & sine ullo seminis abusu, & sine ulla commixtione uiuere, uel in coniugio seruare ordinem Dei consilio institutum. Hanc uirtutem uult nos Deus colere.

1. Ut agnosceremus ipsum esse mentem castam, eumq; à malis atq; immundis naturis discernamus.
2. Ut retineamus gratiam & uitæ æternæ possessionem. 1. Corinth. 6. Fornicatores & adulteri non possidebunt regnum Dei. Ephe. 1. Omnis scortator & immundus non habet hereditatem in regno Christi

¶ 2 ¶

Dei, Nemo uos decipiat uanis sermonibus, Propter hac uenit ira Dei super inobedientes.

3. Ne exempla nostra ledant gloriam Dei, & alij nostris exemplis corrumpantur, uel ne toti Reipub: noceant, ut paucorum libido in Gabaa toti tribui Benjamin exitio fuit.

4. Ut uitentur eterne & presentes poena. Ebr: 17. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Hae historiae supra citatae referantur.

Præcipue autem hæc tristissima poena confidetur, Quod libidinosi, cæcitate & induratione percipiuntur, ut errantes in consilijs, studijs & actibus, uelut cæci & amentes, & à Deo maledicti & abiecti ruant in exitium suum & aliorum, ut Nero, Alexander, Caligula, Saul &c. De hac poena Paulus concionatur Rom. 1. Quia dederunt se temporibus & abominandis libidinibus, tradidit eos Deus in reprobum sensum. Ephes. 4. Qui per excoecationem cordis sui dedoluerunt, tradentes se immundicie &c. Osee 4. Fornicatio & Ebrietas auferunt cor.

Econtra Castitas inter cetera premia meretur etiam maiorem lucem Spiritus sancti accendit illustriorem noticiam Dei, & regentis consilia & labores uocationis, ut sint fœlices, & nobis ac alijs salutare, ut Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam Deum uidebunt. Et Ebra. 12. Sequimini castitatem sine qua nemo uidebit Deum. Et 1. Corinth. 6. de castis di-

stis dicitur. An nescitis quod corda uestra sint Templum Spiritus sancti, ut Ioseph sua castitate omnium bonorum spiritualium incrementa à Deo impetrat.

Propter hanc causam castitas etiam precipuus neruus est authoritatis, quæ eximia uirtute & felicitate in rebus gerendis & beneuolentia animorum in populo constat. Nam fama libidinum animos alienat, ut in uersibus Bacchylidis dicitur.

Vt cum de statua facies formosa reuulsa est,  
Non decus in reliquo corpore truncus habet:  
Sic alij mores spreti sine honore iacebunt,  
Ni sint ornati laude pudicitie.

## V.

De Custodia Angelorum, defendentium, uitam & incolumitatem piorum supra in primo loco capitis Tertij dictum est, & semper in conspectu sit Psalmi 37. testimonium, Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Item. 91. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Iudæi dicunt, Hos duos Angelos, qui ad Loth diuertunt, fuisse Raphaëlem et Gabriëlem.

Raphael, medicus Dei, à Rapha.

Gabriel, fortitudo Dei, à Gabar.

4 3 Quomo-